

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS
FEBRIVM
GENERALEM CONSIDERATIONEM
PATHOLOGICO-PRACTICAM

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICII
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
D. III. IVLII, A. R. S. CLO ICCCCLXVI.
PVELICE DEFENDET
AVCTOR
BENIAMIN GOTTLLOB HENRION
HAYNICA-SAXO-HERMVNDVRVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVÆ.



Dissertatio in avaria medicorum
et ceteris
FEBRIA M
GENERALI CONSIDERATIONE
PATHOLOGICO-PRACTICAM

DIVINI NUNCIUS AVISIO
CONSENSUA GRATIOSI ORDINIS MEDICOVM
IN ALMA ERECTA PRACTICIONA
PRAESIDIO
ARDO ULTRACITI EXCELSITATIS ET EXTERIUS
SCVLPI ROMANI IMPERII INGLORI
POTENTISSIMI REXISSER REGIS A CONSULIS INTIMI
MEDICINA ET HOMOLOGAR NATURANTES PROGRESSOR HABET OBLIVIUM
TACITI MEY SEMPER ET SEQUITUR AVIUM HABEO
IMPERIALIS ACVO NATURAE MATERIE ET COMITE SCVLPI OBLIVIO
HELIANUM SCULPTORIUS CUNNINGHAM AVICENNAE, BONONIENSIS
ET MONSISIENSIS SCULPI
PROGRADIA DOCTORIS
SAMMUSCHER IN MEDICINA HONORABILIS ET PRIMA CENS
HOCLOMELIAE ET CONSEVA DE
D. ANTONIUS A. R. C. CL. DECCEXAY
LUDOVICUS DECCEXAY
AVOTO
RENIAMIN GOTTLIEB HENRION
HABITACULAE-AVOCO-HIRWANDARIA
HAZAS MAGDEBURGAE TYPIS IO. CHRISTI HEDIGERI ADIEC



§. I.



Inter morbos, qui magno numero generi humano infensi sunt, nullus tamen frequentior, impetuosis ac magis dubii saepe euentus existit, quam *Febris*. Ilia enim, praeterquam quod pluribus speciebus distincta sit, atque nunc haec, nunc alia, vel etiam plures earum simul aegros excrucient, saepissime aut primarius, de quo conqueruntur mortales, affetus est, ut solitarie perniciose suo modo agat, aut aliis generis morbis coniuncta adparet. Nullo non tempore, sit illud vernalle, aestiuum, auetumnale vel hyemale, Medicis hac illa ue febre correpti obueniunt aegroti. Neque ulli febres par- cunt aetati aut sexui; etenim tam infantes, quam pueri, vel in virili, vel in decrepita aetate constituti, cum potioris, tum sequioris sexus homines, saepe saepius febricitant. Hanc ergo ob rationem, & quoniam praeterea Febris totum corpus pro suo, quo inhaereat, subiecto agnoscit, inter vniuersales

A 2

morbos

Dissert. inaugur. medica, sistens Febrium

morbos non solum referenda, sed etiam in illis primo sunt
moque loco ponenda, optimo iure videtur.

§. II.

De Febribus ergo nunc acturis nobis, omniaque super-
vacanea & minus vtilia sicco pede transeuntibus, parumque de
etymo ipsius vocabuli eruendo sollicitus anxiisque, perinde erit,
vtrum alii, qui, per hunc morbum totum corpus purgari
credunt, a februo deriuent rectius? an alii feliciori magisque
artificiose indagine deducant a feruoe, vnde feruis, & per littera-
rum transpositionem nomen *Febris* exsultare, sibi persuadant?

§. III.

Satis nobis est scire, a pricis iam temporibus Febris no-
mine hunc morbum esse salutatum, Germanisque identidem
Fieber, antiquioribus vero græcis Medicis, qui eius naturam
in ferore caloreque quæsuerunt, πυετώ, & ab HIPPOCRATE
simpliciter πυε nominari.

§. IV.

Verum enim vero cum quilibet anno variae febrium
species grassentur, modo intermittentes, modo acutae, iam spo-
radicae, iam epidemicae, nunc benignae, nunc malignae oc-
currant, atque fere omnibus laesionibus sese associare soleant,
adeo certe, vt, si leuiter calculum ineamus, facile Medico e nu-
mero aegrotorum dimidia pars, huius census affectibus labo-
rans, sese offerat; rationi hinc omnino conuenit, Medicum
huius morborum coetus veram ideam, tam quoad historiam,
quam caussas, quantum vñquam fieri potest, solid slime debere
perspectam habere, vt non solum in Diagnosi & Prognosi, sed
etiam in Therapia & curatione ipsa recte procedere & conse-
guenter officio suo satisfacere possit. Interim cum nihilominus
febres adeo frequenter & sub variis admodum schemati-
bus

generalem considerationem pathologico-practicam.

5

bus in praxi medica occurrant; frequenter etiam non magis
ancipi, quam insuper maxime breui ac praecipi progressu
ad finem properent, & propterea maxime Medicus ad auxili-
lum ferendum anxie vocetur & imploretur: necessarium
omnino esse arbitror, ut specialiorem harum indolem meden-
dique methodum exquisite cognoscere studeamus.

§. V.

Quo itaque omnium horum iam memoratorum suffici-
entem notitiam acquiramus, necesse erit, ut, antequam ad spe-
cialiora progressum faciamus, de generalioribus solliciti simus,
quibus praemissis eo facilis de iis, quae singulis conueniunt,
verba facere poterimus. Cum autem omnis febrium doctri-
na, si specialiora adiungere generalioribus vellemus, admo-
dum prolixa foret; saltem in praesenti de iis, quae in genere
de omnibus febribus praedicari queunt, agemus.

§. VI.

In omni itaque febri, cuiuscunque demum sit indolis ac
naturae, totum corpus humanum, ob virium debilitationem
coniunctam, languore, pulsus cordis & arteriarum semper
mutatum atque concitatiorem, & calorem praeter naturam au-
etum, interdum vero diminutum esse, animaduertimus. Ab
his vero, collectiue sumitis, unum signum pathognomonicum
& essentiale febris in genere desumendum esse, pater, quum
id sibi omnique febri proprium, eique ita coniunctum sit, ut
ab ea nunquam separetur, sed febris praesentiam certo, nec
fallente indicio designet. Quae vero communia febribus,
cum morbis aliis, sunt accidentia, eorum alia atque alia, plu-
ra paucioraque, haec illaque febrium genera comitari solent.
Cuiusmodi sunt: Vitia appetitus, sitis, vomitus, singultus, car-
dialgia, tussis, alii fluxus aut eius adstrictio, haemorrhagiae,

A 3

sudores



sudores symptomatici, suppressio vrinae, vrina rubra & modis aliis tincta, dolores capitis vel partium aliarum, inquietudo, vigiliae, sopor, deliria, conuulsiones, lapsus virium, animi delicia variaque cutis exantheemata.

§. VII.

Differentia febrium potissimum a tempore & modo durationis paroxysmorum, ipsis sensibus facile diuidando, desumitur, hacque ratione duo summa febrium genera constituantur, *continuae* nempe, & *intermittentes*. Continuarum nomine intelliguntur, illae quae nunquam corpus in integrum dimittunt, sed a primo inuasionis momento ad finem usque siue intermissione durant. Hae autem in peculiares quasdam iterum dispescuntur species. Alia enim constans est & in uno eodemque gradu vehementiae continuando, cursum suum absoluunt, eaque propter *continua non remittens*, vel etiam *continens* appellatur; alia vero cum remissione, exacerbationem excipiente, cursum suum absoluunt, & ex pluribus manifestioribus circuitibus constat, insimulque vel per certas statasque accessiones, seruato semper eodem temporis ordine, increscit, quae *continua periodica* dicitur; vel nullo seruato temporis ordine intenditur, atque *continua vaga seu erratica* nuncupatur.

§. VIII.

Februm vero continuorum non remittentium variae irrum species, gradibus distinctae, obseruantur, videlicet

- a) *Diaria* seu *Ephemera simplex*, quae omnium breuissima est, & intra viginti quatuor horarum spatium plerumque finitur.
- b) *Ephemera plurium dierum*, quae vel septimo, vel decimo quarto die terminatur, prodeuntibus in iuniore aera-

te

te haemorrhagiis narium, & in adultiori sudoribus largis.
Ad harum alterutram *Typhodes* referenda est, cum qua
superficialis, seu erysipelacea inflammatio alicuius viscera-
ris interni, e. g. hepatis, coniuncta est; & febris lactea
puerarum, quae altera plerumque vel tertia a partu
die, sub difficultiori lactis secretione in mammis, exoritur,
prout nimis tales febres per unum vel plures dies
durant.

- c) *Synochus imputris*, seu *simplex*, vel continens stricte sic-
dicta, quae ad septimum tantum diem extenditur.
- d) *Synochus putris*, quae, praeter plethoram, etiam insignior-
rem quandam coniunctam habet sanguinis dyscrasiam,
ad eoque ex continente & continua composta est, atque,
si corpora impuris succis nimium repleta & viribus quo-
modocunque iam exhausta occupat, ordinarie grauiora
coniuncta habet symptomata, ad decimum quartum non
solum, sed saepe etiam ad vigesimum primum diem pro-
trahit, & plurimum exanthemata miliaria alba, aut
maculas fuscas vel nigricantes, coniunctas habet, atque
facile putridam sanguinis dissolutionem infert, vnde a Ve-
teribus istam obtinuit denominationem.
- e) *Causus*, seu *Febris ardens*, quae summus harum febrium
gradus est, bilem imprimis causticam, in ventriculo haer-
rentem, pro caussa agnoscens, & aestu quasi igneo totius
corporis, sitique inextinguibili se se communiter distin-
guens.

§. IX.

Febris continua periodica est, quae quidem continuo
perseuerat, sed vel quotidie, vel terro aut quarto quoque die,
seruato semper temporis ordine, postquam paululum remisit,
denuo intenditur, & idcirco ex intermittente quadam & con-
tinua

8 *Dissert. inaugur. medica, sistens Febrium*

tinua simplici composita est, unde dein quotidianae, tertianae vel quartanae continuae nomen obtinet, inter quas tertiana febre grauissime affligere solet, vt pote sub cuius typo non raro febris ardens, periodica tunc dicenda, tragediam suam agit. Sunt autem februm harum continuorum, tam simplicium, quam periodicarum & vagarum, aliae lentae & diurnae, quibus sensim paulatimque corpus consumitur, quaequae tardo admodum cursu procedunt, atque ad quadragesimum diem & vi- terius protrahuntur; quo pertinet hectica, phthisica & cache- etica, siue febris illa ex latente obstructione & corruptione viscerum orta, nec non febris alba virginum cacheeticarum & Chlorosi laborantium: aliae vero magis acutae, quae citius & die decimo quarto vel vigesimo primo finiuntur, atque, pro symptomatum & caussarum diuersitate, magis vel minus periculosae sunt. Quando vero tales febres cum subitaneo vi- rium lapsu inuadunt, & grauiora alia symptomata, quam quae ordinarie ipsis competunt, coniuncta habent, tunc *Febres malignae seu mali moris* audiunt, quia, fraudulentorum more hominum, claniculum naturam oppugnant, & simulata bo- nitate, dum mitescere videntur, mox facta truculenta cata- strophe, saeuissimisque superuenientibus symptomatibus, fu- nestum eventum accelerant.

§. X.

Habent proinde etiam haec febres peculiares suos gra- dus, & singularibus quibusdam symptomatibus aequa ac ex- anthematibus, in cute prodeuntibus, distinguuntur. Namque aliae stipatae sunt cum molesto sensu grauatiuo & contusorio omnium membrorum, sine causa manifesta, & maiore, quam quidem febris & aestus vehementia inferre posset, inquietudine, anxietate iectigatione & pusillanimitate; aliae malae spei coniun-

coniunctae sunt cum appetitu plane deiecto & auersatione ciborum, cardialgia, sitique maxima & intolerabili, parium exteriarum calore saepe mitiori aut inaequali, vel sensu interdum frigoris, dum interiora graui incendio vruntur, lingua & fauibus aridis, fisis, aut muco viscidio obductis, quandoque etiam tumidis, ac pulsu insimul frequenti, debili, inaequali, aliquando etiam naturali simili, vrinaque primis diebus interdum fere naturali, tenui, cruda, vel leuiter saltem turbida, sudoreque non-nunquam immodico; vnde vel ab anxietate ac inquietudine summa, cum morsu ventriculi, vel a frigore exteriorum, interiorumque aestu ac incendio, vel sudore denique symptomatiko, *Febres afores*, *Leipyriae* & *Elodes* appellari solent. Aliae praeterea varia in cute prodeuntia exanthemata ostendunt, & quidem, praeter variolas morbillosque, vel purpuram, tam albam, quam rubram, vel maculas, sine tumore, purpureas, pallidas, nigras, liquidas & iorunque colorum, plerumque quidem paruas, pulicum morsibus similes, per totum corpus, aut dorsum, aut pectus tantum dispersas, aliquando etiam magnas & latas, quae *febres petechiales* dicuntur; &, si inflammatione faucium & doloribus capitis grauissimis ac deliriis atrocioribus stipantur, *febrium Hungaricarum* nomine veniunt. Tandem etiam aliae bubones pene aures, vel sub alis, aut in inguibus, vel carbunculos cum vibicibus in variis corporis partibus musculosis ostendunt, ac dum populares seu epidemicae & maxime contagiosae sunt, insimul plerosque, quos inuadunt, morti tradere solent, talesque *pestilentiales* dicuntur, quarum summum gradum ipsa *Pestis* constituit. Porro febres continuae aliae ex se ipsis pendent, & nulli alii morbo superueniunt, quae *essentiales* dicuntur seu *primariae*; aliae *symptomatiae* & *secundariae* seu *accidentales*, quae morbis aliis, v. g. vulneribus, fracturis, luxationibus, &c. superueniunt; ac de-

B

nique

nique aliae *comitatae* appellantur, quales inter alias sunt, quae variolas & morbillos antecedunt, vel comitantur, ut supra dictum est.

§. XI.

Febris intermittens dicitur, quae per interualla nunc longiora, nunc breuiora, diuersis paroxysmis reddit, & modo frigore, modo calore aestuque magis est molesta. Cuius quidem generis febris alia haber certa interualla, ita ut statim diebus & horis paroxysmus recurrat, aut vnam alteramue horam anticipet vel postponat, quae *intermittens regularis*, ac prout, habita interuallorum ratione, vel quotidie, vel tertio, vel quarto quoque die & sic amplius repetit, *quotidiana, tertiana* aut *quartana* appellatur: aliae nullo seruato tempore aut ordine invasionum finiumque incertis horis ac diebus redeunt, quae proinde *vagae* atque *erraticae* & *anomalae* vocantur. Proinde quoque notandum est, febres omnes, tam continuas, quam intermitentes, vel *simplices* esse & solitarias, vel *complicatas* & duplices triplicesue, quarum posteriores ita vocantur, quando duplicem aut triplicem paroxysmum in certo temporis interuallo formant, quod in primis de intermittentibus obseruantur, vnde dein tertianae & quartanae duplices aut triplices eueniant.

§. XII.

Quando vero complicantur febres diuersi generis, tunc peculiari carent nomine, excepta illa febre, quae ex tertiana intermitente & quotidiana continua componitur, vrpote quae *semitertiana* vel *Hemitritaeos* & *borrida* appellatur, quam eleganter descriperunt LOMMIVS in *Observationibus medicis* pag. 24. atque BELLINVS Tr. de *Febribus*, quorum alter signa tam diagnostica, quam prognostica, doctissime tradidit; alter praetererea causas quoque accuratissime exposuit. Neque tandem

praeter-

praetermittendum est, febres, non continuas tantum, sed etiam intermitentes, interdum propter grauitatem & vehementiam symptomatum & typum magis acutum *malignas* dicendas esse, quales descriperunt RHODIVS *Cent. I. Observat. IX. & X.* Simon PAULI *Digressione de Febris malignis p. 97.* & NEVCRANZIVS *Lib. de Purpura, p. 113.* Interdum quoque populares sunt & *epidemicæ*, quac plures eodem loco eodemque tempore inaudunt. Tales vero non vitio tantum communis aëris, sed etiam contagio nonnunquam ad alios transplantari, admodum verisimile est, quamvis id non semper aequo manifestetur, neque adeo prompte inficiant haec febres, sicuti pestilentiales. Siquidem inter illos morbos, qui contagiosi appellantur, magnum in nocendo discrimen est, ut erudire ostendit ERACASTORIVS in egregiis Libris *de Morbis contagiosis*. Taliū intermittentium epidemicarum & contagiosarum etiam meminit SENNERTVS *Lib. II. de Febris Cap. XX.* ac praesertim, quod mireris, quartanarum, quae anno 1616. toti Germaniae fuerunt *epidemicæ*, ut etiam modo natos corripuerint, & vix domus aliqua ab iisdem libera manserit.

§. XIII.

Quod vero ad varias illas cauissas attinet, quae Febres antecedunt, & remote illarum fundamenta ponunt, harum aliae evidentes sunt & manifestae, quibus vulgus etiam ortum febrium tribuere solet; aliae magis occultae sunt, & difficilius cognoscuntur. Inter illas aër praecipue referendus est, siue is in qualitatibus suis virtutis, aut repentinis mutationibus delinquens, aut morbidis & deleteriis exhalationibus inquinatus sit, aut inconvenienti denique motu in corpus se se ferat. Inde enim potissimum febres endemicæ & intermitentes, Vere ac Autumno grassantes, proueniunt, quorum illae plerumque

a mensē Martio & interdum citius incipiunt, & aestate ut plurimum desinunt, in quorum locum continuae succedunt. Hae autem Augusto vel Septembri solent inuadere, atque non raro chronicæ sunt, præsertim quando aetate prouectiores corripiunt. Quod vero aër ad excitandas & fouendas febres multum conserat, vel inde patere potest, quoniam febres circa æquinoctia ortae plerumque circa solstitia, imprimis aestivum, finiuntur, & aegri ex frigidiori & humidiori climate in calidius & siccus migrantes saepe conualescunt, adeoque his mutationibus id efficitur, quod remediis etiam exquisitissimis obtineri haud potuit. Idem de praua & inconuenienti vietus ratione iudicandum, si cibus vel potus copia maiori, vel qualitatibus excedentes aut corrupti assumuntur; quorsum etiam vina generosa, fcculenta, craffa, similesque cereuisiae, spiritus ardentes, lactincinia, acescentia, cibi cum sale conditi & fumo indurati, pisces ex aquis limosis, fructus horaei, panis non rite fermentatus, aliaque ventriculi actioni reluctantia, in chylum minus laudabilem abeuntia, vel refrigerantia & obstruentia, ipsaque venena ore assumta, pertinent. Non minus quoque interdum a labore immodico atque exercitatione corporis vehementiori, ac præsertim a motibus animi & contentionibus, terrore, ira, curis, sollicitudine, moerore & aliis animi affectibus, febres accendi, satis iam notum est, id quod etiam de exinanitionibus immodicis non minus, quam suppressis purgationibus corporis, per transpirationem insenfibilem, aluum, vesicam uterumque dici potest. Ad haec aliae interiores externaeque caussae dantur, quae febribus occasionem praebere solent, ut sunt plenitudines & redundantiae succorum corporis, atque cacockymiae & cruditates, indeque natae obstrunctiones & corruptiones viscerum, morbique varii, imprimis inflammations, vulnera, fracturæ, dolores & multa

alia.

alia. Neque etiam omittenda est subiectorum singularis corporis constitutio, quae temperamentum dicitur, ut & aetas, quae utraque in aliis maiorem, in aliis minorem ad suscipendas febres dispositionem producere possunt. Denique etiam sexum muliebrem, imprimis pueras, febres frequentius pati, propter graues partus labores, aut vulneratum, auulsione violenta placentae, uterum, vel impeditum lochiorum fluxum, quotidiana testatur experientia.

§. XIV.

Ex haec tenus autem adductis facile nunc intelligitur, in febri primario sanguinem affici, quum pulsus calorisque in corpore mutatio, in qua signum febris pathognomonicum consistere diximus, non aliunde, quam a mutato illo vitali fluido, a quo omnis corporis calor dependet, proficisci potest, dumque omnes, quas commemorauimus, cauflae naturalem sanguinis crasis ita immurare valent, ut soluta eius mixtione, aut partium, ex quibus conflatur, mutata proportione, aliam induat temperiem, dissimilem illi, quae ipsi propria est & naturalis. Quod si ita est, illud quoque consequitur, vnam esse febris cauflam proximam, insolitam nimirum agitationem aut commotionem particularum vniuersae massae sanguineae, ab aucta cordis & vasorum arteriosorum vi systatica productam. Prius enim sanguis incalescat, necessum est, & cum illo dein reliquae corporis partes, ad quas ebulientes & aestuantes humores pertingunt, vnde illius, nempe sanguinis, si rem diligenter diludicare velimus, aestus proprius est, membrorum vero & viscerum mutuatius & accidentalis. Illa autem sanguinis commotio, quum praeter confuerudinem corpori eueniat ac vehementior sit, & similem incitatiorem motum fibrilis nerueis, easdemque riganti liquori elastico impertiat; id

porro exinde planum pariter atque perspicuum est, parem
inde aequalemque caloris ac doloris sensum, eundemque gra-
dibus distinctum, in nobis excitari, pro diuersa particularum
sanguinis commotione. Simili enim ratione a liquorum ferui-
dorum applicatione varia, extrinsecus facta, & partes corpo-
ris irritante, humoresque in violentum motum abripiente,
ardorem doloremque varium, nunc auctum, nunc imminutum,
excitari obseruamus. Subinde autem horror vel frigus &
rigor excitatur, quoniam motus ille praeternaturalis sanguinis
minor est, quam naturaliter esse debet, eiusque inflammabiles
partes, a quarum agitatione & liberatione calor proficiscitur,
crassioribus inuolutae haerent, vnde tardior & remissior sit san-
guinis per vasa corporis progressus, indeque torpor quidam
& rigor fibrarum neruearum & horroris & frigoris sensus, cum
colore liuido vel fusco extremorum, imprimis digitorum, ob-
oritur. Quemadmodum enim ex concitatiore sanguinis liquo-
risque neruei motu in organis tactus calorem percipimus: ita
ex eiusdem liquoris torpore, aut, si mauis, retardato motu,
producitur sensus frigoris. Hic autem eadem ratione, sicuti
de calore febrili dictum est, gradibus suis pariter distinctus, &
modo grauior, modo mitior esse solet. Et haec est causa, cur
febres pleraque cum horrore inuadant, antequam in igneum
feruorem sanguis abripiatur. Nam si contractus in vasis len-
tor, igneas mobilioresque sanguinis particulas implicans &
cohicens, expansionem vitalem, seu intestinum ac vorticisum
eiusdem particularum motum impedit, atque in arteriarum
extremitatibus, per quas sanguis in venas secundum naturae
ordinem contendere debet, subsistit, tunc omnino necesse est,
vt vniuersum corpus rigeat & inaequaliter refrigeretur. Ast
vbi detentae intra lentorem ac coercitae partes sanguinis igneae
& clasticae tandem liberantur, tunc expansiua sua indole totam

humo-

humorum massam, eiusque tam tenues mobilioresque, quam crassas partes in vehementiorem orgasticum motum abripiunt, & calorem eius blandiorem naturalem in igneum feruorem commutant, cordi non minus, quam corpori vniuerso infestum, qui tanto maior grauiorque necessario fieri deber, quanto magis ebulliens sanguis ac turgescens in vasis sibi ipsi impedimento est, quo minus aequaliter per vas a arteriosa & venosa transire atque circumagi possit.

§. XV.

Ab eadem cauſa dependet quoque turbatus cordis arteriarumque motus: atque is quidem sub initium accessionis febrilis minor est aut depresso, alioque quasi immersus, interdum etiam tardior, quoniam implicatae febrili lentore elasticae sanguinis partes minori copia ad officinam secretionis liquidi neruei deferuntur, hocque idcirco parcus & languidius ad cor & reliquas partes transfertur, unde progressus sanguinis per arterias harumque expansio seu pulsus necessario minui debet, qui vero dein frequentior & simul maior seu vehemens redditur, dum inflammabiles & elasticae sanguinis particulae, vinculis solatae, motu concitatiore totam intus humorum molem agitant. Sic enim in corde & vasibus tumultuose agitatus sanguis, dum a subsequente qualibet portione semper impulsus in minus parentes arterias progredi pergit, vasa haec magis distendit, cordisque contractioni & sanguinis in arterias promotioni renitendo, propter impeditum per illarum apices consuetum transitum, illud non solum ad frequentiorem contractionem sollicitat, sed &, accelerato quadantenus progressu & frequentiori appulsu ad cor, frequentiorem pariter & maiorem, seu vehementer eiusdem & arteriarum pulsus efficit; qui quidem pulsus variis modis turbari & maior

minor.

minorue esse solet, prout sanguinis intra arterias propulsi impetus & liquidi nerui ex cerebro progredientis affluxus ad cordis musculum variat.

§. XVI.

Neque vero alia est ratio phaenomenorum reliquorum, quae febribus ac morbis aliis communia sunt, & quorum alia atque alia haec illaque februm genera comitari solent, plura paucioraque, prout sanguinis motus magis minusue turbatur. Nam quia deriuaciones secretionesque humorum minus recte possunt perfici, & succi alii vasa quaedam ductusque corporis obseridunt & obstruunt, alii in aliis concitatius mouentur, & virisque tumultuantes humores fibrillas motrices partium varii modis irritant & exstimplant: mirum non est, si propter obstructions glandularum salivarium agitationemque vehementiorem partium oris, sitis & ariditas linguae ac faucium, atque a similibus turbationibus in stomacho appetitus deieccus, vomitus, cardialgia, in intestinis vero adstrictio vel fluxus alui, & propter sanguinis cursum per pulmones minus expeditum & alacrem, respirandi difficultas, inquietudo, anxieras, ac tandem in membris aliis laefiones aliae, doloresque varii generis excitentur. Inprimis autem eiusmodi aegrotantes capititis dolores saepissime afflignant, propter insolitas arteriarum pulsationes indeque ortas distensiones membranarum neruofarum cepitis. His vigiliae accedunt, quando vi caloris febrilis, caput occupantis, blandiores roscidi humores consumuntur, liquidumque nerueum fortius perpetuoque agitatum viuidiores motus, somno contrarios, concitat, ipsaque cerebri membranae vehementius tenduntur & tremunt. Sequitur autem delirium, cum ex iisdem ac grauioribus subinde cauiss, aut proper immunitationem liquidi nerui, vel inuectas in cerebrum commixtasque

cum

cum sanguine eo delato peregrinas particulas, liquidum nerueum inquinatur, nullaque adeo lege ac ordine per neros promouetur, vnde ideas etiam varias, sine lege & ordine, & representationes plurium rerum minime cohaerentium, seu deliria, excitat, quibus facile conuulsiones superueniunt, quando liquidum nerueum impetuofiori & irregulari motu per neros ad fibras muscularum propellitur & violentas illarum contractions, subinde cum remissione alternantes, excitat. Ita etiam lapsus virium & grauitas corporis ab eiusdem liquidi nervi defectu in fibris motricibus muscularum, quae fundamenta sunt virium humanarum, & a copia lentoris, mobiles spirituofas partes detinentis, vaseaque infarcientis & musculos prementis, proficisciuntur, vt minus sit mirandum, si ab his cauissimis interdum cordis musculus a motu ferietur, animique deliquia eueniant.

§. XVII.

Ne vero etiam vrinam omittamus, verbo saltem notandum est, eam a turbato sanguinis motu pariter varie immutari, insimulque, quoniam a particulis, a sanguinis massâ in rebus secretis excretisque, colorem, consistentiam & contenta sua recipit, de constitutione sanguinis non contemnendum signum praebere. Ut plurimum autem rubicunda & flammea in febris appareat, propter vorticosum sanguinis motum concitatiorem & orgasticum, quem secretae quaedam eius salino-sulphureae partes illo in liquore retinent, coloreisque hinc rubicundum & flammeum nobis praesentant. Interdum minus colorata est, si minore motu sanguis agitetur, vel viscidis atque terrefribus fecibus serum sit inquinatum, aut tenuior tantum aquosaque sanguinis portio dimittatur, retentis in sanguine vel rebus particulis tingentibus. Quae etiam ratio

C

est,

est, quod vrina vel tenuis sive cruda reddatur, vel cocta, quam vocant, sive crassa, & sedimentum ponat.

§. XVIII.

Atque haec quidem omnia ex cauſis quoque tam externis, quam internis, nobisque inherenteribus, haud difficulter possunt intelligi, quum eo cuncta tendant, ut mixtione in motumque naturalem sanguinis turbent. Harum autem cauſarum aliae id efficiunt, quatenus & vasa sanguinem vehenſia, & genus neroſum fortius succurunt, huiusque liquidum cum impetu ad villos muscularum cordis & aliarum partium expriment, motumque hinc sanguinis mutant aut retardant, vel modis aliis virales ſuccos ad coagulum diſponunt, & crassos, lentos ac viſcidos, aut quasdam faltem illorum partes plus aequo fundunt & magis diſoluunt; aliae vero dum quaedam calidiora ſulphureae indolis corpuscula, vel fermenta plane peregrinia, a motu figuraque particularum sanguinis plus minus abſudentia, in vafa transmitunt, vel obſtructis meatibus cutis retentisque eſſluuiis, quae transpiratione eiici debebant, magna turgescentium particularum copiam accumulant, aut deinde pororum in vasis neceſſariam libertatem peruerunt, ſic que impediunt, quo minus ſanguis per omnes arterias tranſeat. His enim &, ſi quae dantur aliae, cauſis ſingulis, facile in particulis sanguinis quaedam motus naturalis perturbatio ſuboritur, dum vel maiori copia ſulphureae & calidiores particulae in ſanguine colliguntur, vel ordine, ſitu & nexu particularum, liquorem illum componentium, eae a contactu ſuo naturali magis minusue dimouentur, porique adeo & internalia, inter illas particulas relictā, immutantur, quae, cum ſubtiliores & elatiſcae ſanguinis partes, intus agentes, peragrare conſueto & naturali modo nequeunt, neceſſe eſt, ut vel vehe-
menti-

mentius vel remissius sanguinem commoueant, praesertim cum illam sanguinis insolitam agitationem quaedam arteriarum capillarium, plurium pauciorumue, obstructio, turbatae mixtio-
nis sanguinis non minus pedissequa, quam effectrix, potissi-
mum promoveat, sine qua vix videoas, febrim accendi.
Quodsi enim dederis, sanguinem per omnia corporis vasa
in orbem circumduci, is certe, quantumuis sit cacoehymicus,
aestum febrilem & ebullitionem non facile concipiet; cum
contra statim corrumpi sanguis incipiat, & iuxta particulas
minimas nonnaturaliter agitari, quoties consuetus illius circu-
lus fuerit interruptus. Quemadmodum toto die obseruare
licet, multos Cacoehymia laborantes a febris immunes ma-
nere, non paucos vero sanos ac bene habentes, nulla mutatio-
ne in humorum diathesi facta, in febres implicari, motu in
humoribus & circulo tantum naturali impedito, virtio potissi-
mum vasorum atque meatuum.

§. XIX.

Vt autem caussa discriminis febrium continuarum ab in-
termittentibus adpareat, notandum est, id omne ex eo depen-
dere, quod vis caussae sanguinis motum turbantis vel uno cur-
su tota consumatur ac plane deficiat, vel ea copia remaneat at-
que persistat, vt alios circuitus excitare possit, eosque vel ita,
vt alter inuadat, antequam prior plane desierit, vel aliquo
temporis interuallo demum, postquam prior perfecte desiit,
alter accedat, & utrumque vel certo quodam ac stato, vel nul-
lo ordine. Priori modo, quo omnis caussa febris uno quasi
actu consumitur, sunt febres continuae, simplices, longae pa-
riter, ac breues, haecque iterum vel minus periculose, vel an-
cipites atque acutae. Aut enim feruor sanguinis ab auctis vel
solutis potissimum, & minus a lympha temperatis ac liberius

celeriusque agitatis particulis inflammabilibus, sine notabili mixtionis turbatione, pender, isque vel breuior est, citoque ad indolem & motum naturalem reddit, quod in Diaria & Ephemera plurium dierum, siue Synocho non putrida, obseruatur, vel diutius protrahitur.

§. XX.

Proinde etiam vltius talis feroor sanguinis vel a vitio quodam, v. g. latente obstrunctione, vel putredine, vel aia visceris corruptione, quae quasi fomes febris est, sustentatur, qualis est *febris lenta* & mitissima, sub qua sine grauioribus symptomatibus vires sensim atteruntur aegerque contabescit, qualis in cachectiis & virginibus Chlorosi laborantibus occurrit; vel a corrupta ulcerosa & putrida materia in massam sanguinis iterum resorpta, temperatae eiusdem mixtioni plane aduersa, eandemque intestino alieno motu turbante, immutante ac dissoluente, excitatur, quae *febris propriæ hecūca* dicitur, & post febres variæ generis, cauſasque alias, quae lympham minuere & calorem augere possunt, non raro eueniunt selet. Aliquando etiam excitatur feroor tumultusque febrilis, quando ab alienis, iisdemque noxiis corporisculis, quibuscum collectatur, sanguis turget, & praecipue cum ab inflammatoria visceris cuiusdam obstrukcione circulus eius turbatur, vnde *Synochus putris* & *febris ardens*, si vñquam sine visceris alicuius inflammatione illas obserues, proficiuntur. Posteriori modo Febres sunt continuae & intermitentes, periodicae & vagae. Nam in utrisque vis cauſae mouentis & conseruantis febrim omnis uno cursu haud subiugatur, quin tantum eius remaneat, quod alios circuitus excitare possit, quorum alter mox alterum expiciat, antequam prior desierit, vnde continuae; alter non nisi aliquo temporis intervallo & post perfectam intermissionem

deum

demum inuadat, vnde intermitentes oboriuntur. Huius autem discriminis ratio sine dubio in eo sita est, quod in *continuis* posterioribus sanguis materia febrili perpetuo quidem turget, adeoque aestus cum pulsu celeriori constanter perseueret, noua tamen subinde exacerbatio praedicti aestus succedit, dum post multas circuitiones maxima pars humoris febrilis, ex arteriis in venas transfusa, in illis eo vsque iterum colligitur, ut motum intercipiat sanguini ex arteriis in venas tendenti, hicque, a consequente humore semper impulsus atque ad arterias minus patentes confluens, tanto maiore imperu & agitatione vehementiore illas obstructionum obices perrumpere cogatur. Sic enim fit, ut mihiorem paullo aestum, propter dispersum in venas humorem noxiun, partimque eiectum per poros cutis & renun, mox noua accessio atque exacerbatio, ob praecollectos illos humores in arteriis, excipiat, isque circuitus durer, donec omnis materia febrilis aut excreta, aut immutata fuerit & prorsus conquieuerit.

§. XXI.

Sed paulo aliter se res habet cum *febre intermitente*, ut pote in qua singulis paroxysmis, quocunque sanguinem turbauerat, diuitum in partes minimas, ex arteriis eiicitur, & partim per corporis excretoria emititur, partim in venas vasque lymphatica & glandulas varias corporis derruditur. Unde expulsa dispersaque ista materia circulus sanguinis ad statum naturalem redit, corpusque pristinam quietem adipiscitur, & inde perfecta febris internissio sequitur. Neque enim tunc a reliquiis humoris noxiis, in adeo minimas partes totque spatia corporis dispersi, perturbatio metuenda est. Manent tamen morbi velut reliquiae & semina in corpore, quae fructus suos certis temporibus emittunt, dum ex glandulis & vasis, in qui-

bus hinc inde dissipata haerent, denuo collecta & congregata in arteriis nouam harum obstruktionem & turgescientiam sanguinis, siue paroxysmum nouum, excitant. Cum enim materiae febrilis, a qua prior paroxysmus excitabatur, portio aliqua remaneat, & haec partim adhaereat vasorum parietibus, partim cum sanguine & lympha per venas vasaque lymphatica & glandulas corporis ubique profluar & circuletur, similesque particulas elicendo proportione pari multiplicetur, ac demum in arterias, in quibus prior feroer erupt, continuo feratur, ibique corpuscula eiusdem generis offendat, vasorum tunicis impacta; consequens utique ac necessarium est, ut moles relictae materiae febrilis continuo augeatur, ac iterum moveat sanguinis massam & agiter, vasa hinc grauari rursus atque distendi incipient, nouaque adeo inuasio febrilis exoriatur. Vasa namque tunc multo sanguine turgere, censendum est, cum, quod collectus in arteriis humor febrilis in illarum angustiis haeret easdemque obstruat, tum, quod pulsus assiduo sanguis in vasa cordis praepedita feratur, tumensque & feroens in illis sibi ipsi impedimento sit, quo minus recto cursu & expedito itinere circulum vitalem obire possit. Quasdam vero humoris febrilis reliquias in massa sanguinis eiusque ductibus haerere, ex eo satis dilucide apparer, quod in huiusmodi febribus etiam per interualla pulsus ad naturalem rhythmum non penitus redeat, quin quaedam eius inaequalitas, plerumque tamen minor, relinquatur, cum lassitudine & grauitate quadam corporis, quod singulare certumque subsistentis adhuc causae febrilis, sed diuisae disiectaeque, indicium est. Nam etsi febrilis imperus, extrusa semel ex arteriis materia, vti dixi, sistitur, credendum tamen non est, vasa, in quibus eadem materia feroore febrili exagitata fuit, dispositionem impressam ex mora corrupti succi amilisse, quin potius eandem in illis ad-
ad. huc

huc vigere, ac tam diu persistere existimandum est, donec, abiecto penitus lentore, qui lateribus tunicarum adhaeret, firmiusque impactus subsistit, ipsae continentes partes, vasa nempe, præsertim arteriosæ, pristinam suam naturalem & ordinariam receperint conditionem.

§. XXII.

Per materiam vero febrilem intelligitur succus crudus, vel corruptus, nunc magis nunc minus latus, & neque sanguini bene miscibilis, neque vasa peragrare aptus, qualis ex caussis variis, ac vasorum præsertim quorundam & glandularum obstruktione gigni solet. Qui cum effectu singulare, commotione nimirum seu fermentatione humorum, se prodat, a quibusdam recentiorum non immerito fermentum appellari videtur, cum ceteroquin in reliquam eius naturam, sensus quippe nostros fugientem, fortasse frustra inquiratur. Attamen ab huius lentoris seu fermenti copia atque actiuitate, ac genio magis vel minus mobili, ratio paroxysmorum recte repetitur, quod nunc quotidie, nunc tertio vel quarto quolibet die febris recurrat, seruato certo interuallo, prout nimirum sufficiens lentoris copia & qualitas, quae naturalem sanguinis motum turbare possit, citius vel tardius, & vel certo temporis spatio, vel nullo certo tempore, sed modo maiori, modo minori copia, viscidi vel tenuior ac mobilior, pro varietate constitutionis corporis caussarumque procatarcticarum diuersa conditione, intra arterias cumulatur. Neque difficuler ex eodem fundamento caussa cognoscitur, cur nempe febrium intermittentium alia in aliam mutetur, aut intermittentes multiplicentur, vel continuae intermittentibus copulentur, aut istae prioribus coniungantur, vel in se mutuo degenerent. Haec omnia ex aucta vel copulata aut mutata fermentescibili-

um

lium particularum ratione humorumque alteratione varia eueniunt.

§. XXIII.

Sed imprimis humores corrupti, atque ad obeundum vitalem circulum ineptos reddi, fatendum est, in febribus subdole perniciose seu malignis, quae non per motum cum moribus mutant, infidisque signis aegro praesens vitae periculum creant, & vulgaria atque alias usitata in febribus remedia respuunt, quando symptomata eorum neque ab immoderato calore, neque a nimio humorum motu, aut vulgari aliqua corruptione deduci possunt. In his igitur fermentum febrile, vitio aeris contractum, vel per contagium haustum, aut ipso in corpore genitum, venenorum naturam induere &, sicuti maxima illorum copia datur, ita nunc huius, nunc illius indolem aemulari dicitur. Ac nunc illi, qui diligentius huic rei studuerunt, ab omni aevo per experientiam edocti sunt: Febres malignas, pestilentes, ac Pestem ipsam, quae diuersis temporibus grassantur, natura plane differre, diuersamque curandi methodum requirere; quemadmodum & illud pariter facile apparet, non posse naturam fermenti illius in genere certo & accurate determinari, atque in tanta saluum volatilium varietate quicquam de iis, quae in illo latitant, explicari. Neque vero rem acu tangere videntur illi, qui existimant, venenum vel coagulans, vel sanguinem dissoluens & fluidiorem reddens, illud constitutre; siquidem modo in hac febre maligna sanguis ad coagulum tendere, modo in alia magis dissolui, aut potius inaequaliter liquidus, hisque in partibus tenuis & facile mobilis, in aliis limosus, crassus, tenax & lentus, saepeque coagulatus deprehenditur. Quare illud vero admodum simile videtur, quicquid vulgo humoris maligno & venenato adscribitur, id omne lentori sanguinis tribuendum

endum esse, vtpote cuius copia, vel tenacitate, aut vi fermentandi, crosis & mixtio sanguinis ita turbatur & perueritetur, vt magis atque magis lentescat &, solutis mobilioribus particulis, liquidum euadat, a naturali sanguine prorsus alienum, lutoque fluido acrius intuenti non dissimile, & neque alendo, neque mouendo, neque sentiendo aptum, hicque crassius, ibi liquidius, in his arteriis haerens easque obstruens, per illas discurrens, prout a mobilioribus particulis lensor sanguinis huc vel illuc impellitur atque abripitur, vnde tantus virium lapsus cum anxietate & inquietudine, varioque caloris & frigoris sensu, ceteraque symptomata grauiora, ac tandem ipsa mors.

§. XXIV.

Hinc etiam varia cutis *exanthemata* profiscuntur, quando ex massa sanguinea lenta liquidaque & fermentescente particulae quaedam extra vas a ad cutim aut glandulas, vel ipsas in carnes protrusae, exhalantibus tenuibus, subsistunt, ac fibras partium varie diuellunt, maioreque vel minore copia per amplius vel contractius spatium diffusae, in exanthemata vel ecchymoses, vel in vtraque efflorescent, eademque interdum purpurea, interdum coerulecentia, aut nigra aliterque colorata, pro diuersitate materiae collectae & stagnantis, quae nihil aliud est, quam quaedam corrupti sanguinis limosae particulae foras in extinam epidermidem protrusae illicque haerentes. Plerumque vero maior lensoris copia interioribus in partibus atque visceribus subsistit, & varias inibi inflammations, sine quibus nullam febrem malignam obseruabis, concitat, quae, humoribus interceptis ad putredinem vergentibus, facile in granulam & sphacelum degenerant, cum partis affectae vel totius corporis interitu. Quae quidem caussa esse videtur, cur febribus malignis laborantes subinde sudore quodam frigido

D

made-

madeant, ac cadauerosum saepe foetorem, tamquam signum te-
ste inuaalentis necroseos, & quod viuus iam putrefcere sen-
sim incipiat homo, aliquot ante mortem diebus exspirent, illo-
rum more, qui gangraena sphaceloque pereunt. At quia per
illam sanguinis lentescentis fermentationem eiusdem generis
miasmata continua totius corporis transpiratione emituntur,
quaे aliorum corporum interiora subire, illorumque sanguinem
& succos, plus minus dispositos, semini instar morboſi fermentan-
do, in similem lentum humorē commutare possunt; hinc
contagii ratio apparet, quod, in alia corpora variis modis
translatum, sanguinem ad sui motus leges cogit, eiusque parti-
cularum cohaefionem & contextum globosum ita alterat & vi-
tiat, vt ad mixtionem motumque naturalem difficulter redeat,
& non solum plures eadem febri corripiantur, sed etiam plerique
intereant, atque adeo febris illa maligna, quae prius priua-
ta fuerat, contagiosa & popularis ac plerosque necans, siue pesti-
lens euadat.

§. XXV.

Ex simili fermento etiam pustulas illas & papulas, quas
hodie *variolas morbillosque* vocant, produci, fermentations san-
guinis testantur seu febres, quae illas praecedunt, saepe vehe-
mentes, inquietudine, vomitu, mentis motione, sopore, pauori-
bus, motibus conuulsiis, ardoribus, anhelationibus, tussi, siti
aliisque grauissimis symptomatibus stipatae. Fermentum enim
istud sanguini illatum eius profecto conditionis esse debet, vt
veneni & miasmatis maligni naturam redoleat, cum non solum
grauius laborantes, & non raro enecet, ad instar alio-
rum malignorum morborum, sed etiam contagio in alios atque
alios, pueros, iuniores pariter ac magis adultos, diffundatur, vt
propterea quandoque plane quasi deuastatae fuerint integrae
prouinciae ex puerorum, & quandoque etiam adultiorum in-

terne-

terneione. Solet tamen interdum mitius esse istud exanthematum genus & minus periculosem. Pueri plerumque eodem afficiuntur, vrpote qui habitu corporis teneriore gaudent, facile eiusmodi miasmata suscipiente, & sanguinem habent lymphaticum, ad suscipiendum & diffundendum tale fermentum admidum primum. Hinc fieri quidem potest, vt primum vitio aëris vel vietus, aut collectarum in utero impuritatum, aut mala alicuius subiecti alia dispositione ingeneretur in sanguine vel visceribus eius generis fermentum, quod deinde in virus pestiferum & contagiosum commutatur & in alios circa aegrotantem versantes transmigratione quadam per halitus, vel per formicem transfunditur. Proinde etiam puerilis atque iuuenilis aetas huiusmodi exanthematibus & efflorescentiis cutaneis ideo potissimum est obnoxia, quia in iis periodis & mutationibus aetatum sponte sua sanguis pristinique corporis succi alterari & purgari solent, cum totius contextus solidi mutatione. Confert autem solummodo ad haec aër, promouendo in sanguine fermentationem, vel etiam transuehendo ex uno in aliud halitus contagiosos, vt in plures vel omnes ad fermentationem concipiendam dispositos diffundantur. Vix vñquam etiam ii, qui semel variolis veris laborarunt, iterum iisdem affliguntur, quia sub legitimo illarum decursu tota massa sanguinis ab antea inhaerente singulari quasi connato miasmate liberatur. Possunt vero etiam tales fermenti particulae, dispersae per minima vascula &, copia longe maiori optimi sanguinis obrutae, per annos & diutius delitescere, donec vnitae & auctiores redditae ex aëris, vietus, aliarumque non-naturalium rerum prava conditione, praesertim ex contagio, insitam fermentandi efficaciam, & numquam amissam, subinde exserant.

§. XXVI.

Circa Prognosin febrium sequentia notatu digna sunt:

D 2

i) Fe-

- 1) Febris intermitentibus multo minore periculo aegros decumbere, quam continuis, excepta Ephemera, quae, quando intra breve temporis & viius circiter, aut paucarum dierum spatium terminatur, itidem omnis periculi expers esse solet.
- 2) Inter febres intermitentes contumacissimam longissimamque esse quartanam, qua supra annos viginti quatuor quendam laborasse, IOVIANVS PONTANVS de *Reb. coelestibus* Lib. IX. cap. VIII. refert.
- 3) Aestiuas quartanas plerumque breuiores, auctumnales longiores esse, maxime vero, quae ad hyemem pertingunt, secundum *Apbor. XXV. Sect. II.* Intermittentes vernales vero, ac praesertim epidemicas, plerumque sua sponte euancere, nec fere medicamentis egere, vt pote quae malum saepe exasperant, rectius vero naturae negotium relinquunt, vt bene annotat SYDENHAMIVS, qui omnium diligentissime in morbos epidemios inquisivit. Tertiana vero legitima septem circuitibus terminatur, secundum HIPPOCRATEM, si nimirum nec Medicus, nec aeger errorem commiserit.
- 4) Quodsi diu durent febres intermitentes, tertiane imprimis norhae & quartanae, frequenter, frustra etiam contranitentibus Medicis, Cachexiam, Icterum, Scirrhos viscerum, & tandem Hydropem, difficulter curabilem, relinquunt; imo etiam in febres lentas easdem abire intermitentes, atque in Hecticam tandem mutari, quemadmodum, praeter experientiam quotidianam, exemplis docent RIVERIVS, GABELCHOVERVS aliique.
- 5) Periodicas continuas periculo haud expertes esse, minus tamen metuendas, quam ardentes.
- 6) Neque lentas periculo vacare, hecticas praesertim, aut quae, notabilem visceris cuiusdam exulcerationem comitantes, diarrhoeam

rhoeam & sudores colliquatiuos, cum defluvio capillorum, coniunctos habent.

- 7) Vti morborum acutorum omnium, ita febrium imprimis acutarum & malignarum non omnino tutas esse praedictiones aut salutis, aut mortis, secundum Aphor. XIX. Sect. II. Quia enim hae febres subitae & vehementis sunt mutationis, non solum inter initia de illarum exitu nihil certi praesagiri potest; verum etiam fallax iudicium & incerta praedictio erit, quousque non exakte constiterint, cooperintque declinare. Huius autem incertitudinis causa a motu particularum sanguinis fermentescentium petenda erit. Dum enim fermentatio perseverauerit febilis, & in perfectam atque plenariam secretionem non desierit, quae sola salutarem alias exitum aegrotantibus promittit, morbus ipse in ancipiti est. Quo loco bene nota sunt, quae diuus SENEX in Lib. II. Praedictionum pronunciat: *Consilio autem, ut quam prudenter agant, tum in reliqua arte, tum in buiusmodi Praedictionibus, illius probe memores: quod, si cui successerit praedictio, is apud aegrotum intelligentia praeditum in admiratione fuerit; si vero quis aberrauerit, supra hoc, quod odio habetur, fortasse etiam insanire videbitur.* Quapropter iubeo, ut cum alias omnes, tum bas praedictiones prudenter faciant, quamquam sane audiam atque videam, neque iudicare homines regre ea, quae dicuntur ac fiunt in arte, neque narrare. Huc pertinent ea, quae CELSVS Lib. II. Cap. VI. de indicio fallaci haber: *Spes eius interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo Medicus securus primo fuit.* Quare, ut prouide & cum ratione coniiciamus de euentu febrium acutarum, iussit GALENS Lib. III. de Crisiis Cap. IV. ad tria haec respicie: ad ideam morbi, ad magnitudinem, atque ad morem. Nempe cuius generis aegritudo sit, quae symptomata illam comitentur,

tentur, & num a benignis vel malignis succis ortum trahat? In cuius rei notitiam venire poterit, considerando vires, an validae aut deiectae sint? & examinando singulas corporis mentisque operationes.

- 8) Imprimis autem metuendas, & ut plurimum lethales esse, recte pronunciat HIPPOCRATES, in iis, *quibus superueniunt sudores frigidis*, secundum Aphor. XXXVII. Sect. IV. vel *luctuosaes respirationes*, Aphor. LIV. Sect. IV. vel *convulsiones*, Aph. LXVI. vel *linguae nigrae*, Aphor. X. Sect. VIII. aut *dieses nigræ*. Itaque in omni continua Medicus linguam inspiciat, aut tumida sit, sicca, punicea, nigra vel fissa, aut mucō valde viscido, & putridi casei instar siccē habente, obducta? Haec enim febris acutæ admodum & malignæ, atque incendiū interiorum partium signa esse solent. Conf. Dissert. illustr. PRÆSIDIS, *de Prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda*, Hal. 1748.
- 9) Sitim magnam, superantem partium externalum calorem, quaque, largo licet conuenientique potu non mitigatur, malum esse, quia interiorum inflammationem ac incendium notat.
- 10) Peius tamen esse, si praeter rationem sitis cesseret, aegerque nullum potum desideret, etiam si fauces præ ariditate & siccitate squealent. Significat enim, sensum in partibus emori, aut aegrū delirio detentum non attendere.
- 11) Insuetam voracitatem, sine causa manifesta, malam esse, & delirium atque conuulsiones portendere.
- 12) Delirium nullum tutum esse, magis tamen secura, *quæ cum risu sunt; quæ vero cum studio, periculofora*. Aphor. LIII. Sect. VI. Illa enim iucunda deliria, non vero cum risu spasmodico seu Sardonio coniuncta, non tam grauem cerebri & liquoris

quoris neruei corruptionem, quam quidem deliria furiosa, arguant.

- 13) *In febribus acutis conuulsiones & circa viscera vebementes dolores malum.* Aphor. LXVI. Sect. IV. Notant enim materiam febrilem tantae prauitatis, ut non solum sanguinem grauiter exagitet & conturbet, sed & inflammationes in visceribus efficiat, & cerebrum neruosque diuexando conuulsiones ac dolores inferat.

- 14) *In febribus, ex somnis pauores & conuulsiones, malum.* Aph. LXVII. Sect. IV. Oriuntur quippe ab irritamento prauorum humorum, circa praecordia stagnantium, quibus nerueae & motrices illarum partium fibrae, lacessitae quodammodo, conuelluntur, & cerebrum excitant cum terrore, ob concussum & exagitationem fibrarum neruearum & liquoris easdem irritantis.

- 15) *In febribus spiritum offendens* (i. e. interrupta respiratio), *malum; conuulsionem enim significat.* Aph. LXVIII. Sect. IV. Cuius rei cauſa pender a viriato exsolutoque liquore nerueo, qui musculos thoracis non satis irrigat, vnde laboriosa & interrupta respiratio.

- 16) E contrario auditus difficultatem in declinatione febrium malignarum bonam esse, vel ex hoc signo aegris interdum salutem praedici posse: notat enim, expulsionem materiae noxiae fieri ad partes exteriores. Ita etiam labiorum & narium tumores ac pustulæ interdum declinationem febrium, praesertim epidemicarum, indicant, quia indicia sunt, vegetiore sanguinis motu subiugatum partim, partim expulsum esse fermentum acre, quod in transitu suo vestigia reliquit in labiis vel naribus, molliore & spongiosa substantia donatis. Eadem ratione, propulsione ad habitum corporis facta, & scabie nonnunquam febres soluuntur, quemadmodum

SENNRR-

SENNERTVS in *Paralipomenis* habet: Quartanas scabie solutas fuisse, eaque repulsa rediisse.

- 17) Plures alios solutionis febrium modos obseruari, omnium fere tamen tutissimum ac creberriimum esse, qui per sudorem fit; sic & per fluxus ventris, vrinae, haemorrhagias & salivationem illas terminari, experientia notatum est. Interdum tamen nulla fit exinanitio sensibilis, sed sensim paucatimque febres deficiunt.
- 18) Neque vrinae, neque pulsui, quamvis statui naturali similes videantur, fidendum esse; siquidem saepe fit, ut cum optimis vrinis & pulsibus nihilominus reliqua symptomata grauissima, ac imprimis praecox virium lapsus, coniungantur, id quod etiam inter malignitatis indicia numerari debet. Iuuat tamen inspicere vrinam, tam propter malignitatem, vti dictum est, quam propter adiunctam febrim. Imprimis autem signa coctionis in ea attendantur, quia vrina cocta, h.e. crassa & sedimentum ponens, si reliqua consenserint, bonum signum praebet: notat enim, secretionem materiae febrilis a massa sanguinis illiusque excretionem fieri. Et quia vrina a turbata sanguinis mixtione motuque peruerso multum & varie alterari solet, atque a particulis secretis colore, consistentiam & contenta accipit (§. XVII.); hinc de particularum illarum constitutione in sanguine non contemmendum signum exhibet, praecipue illis, qui ab hac vel illa particularum concursione & textura aliam atque aliam luminis modificationem contingere putant, ex qua in nobis huius vel illius coloris sensus produci possit, & ex consistentia ac contentis, reliquisque particularum conditionibus accidentalibus, reliquas facultates cognoscere sciunt. Atque eadem est ratio excretionum aliarum, quae per poros cutis aut alia loca fiunt. Ig-
tur

tur cum febris in genere in peruersa particularum sanguinis intestina commotione, perturbatoque vitali circulo confistat, id quidem facile patet, curationis cardinem in genere in eo potissimum verti, ut mixtionis sanguinis turbatae & motus viriusque sanguinis deprauati restitutio fiat. Eam vt obtineamus ex triplici medicinae fonte depromere remedia solemus.

§. XXVII.

Quod attinet ad *Diaetam*: aeger quam maxime fugiat alimenta dyspepta, cuius quidem generis pisces & alii cibi sale conditi aut fumo indurati, itemque pisces in aquis limosis nutriti, fructus horaei, panis recens coctus ac glutinosus, &c. habentur; quorsum porro spectant potulenta fcculenta & facile in fermentationem abeuntia, exemplo vinorum & cerevisiarum corruptarum, lacticiniorum, aliorumque, quae omnia corpus & male nutriendo, & crudos impurosque succos producendo, accensam febrem adaugent. Nocet aer nimis calidus, frigidus, humidus, siccus & omnis, qui heterogeneis effluviis repletus est, quippe mediante quo impuritates & inquinamenta in sanguine & reliquis humoribus cumulantur, atque se- & excretiones impediuntur, vnde variae turbae, mutationes & corruptiones in iisdem oriri necessario debent. Sedulo porro, ne grauiora animi pathemata excitentur, prospiciendum est, quae inter moeror, tristitia, terror, & sigillatim ira prae ceteris eminent, quippe quae humores modo commouendo, modo coagulando & consumendo, febres grauiores reddunt. E contrario autem cibus eupeptus & concoctu facilis est eligendus, imo interdum praefstat de omni cibo abstinenre. In omni febri potus tenuis & tepidus sufficienti copia

E

conce-

conceditur, quorsum spectant cereuifiae probe defecatae & tenues, decocta ex hordeo, Scorzonerā, Cichorio, Eryngio, Corru cerui, Ebore, Prunis & Cerasis siccis parata; quibus efficiimus, ut humorē lentescentes attenuentur, attenuati autem per cutis cribra aliaque vasa excretoria melius promoueantur. De aëre probe tenendum est, in genere febrium curationi purum, serenum & temperatum, nullisque noxiis effluviis refertum, magis accommodatum esse. Quibus omnibus haud neglectis curatio quoque febrium ex yoto eo melius succedit.

§. XXVIII.

Ex fonte pharmaceutico euacuantia & alterantia, quibus febribus medemur, desumimus. Quod ad euacuantia attiner, quae inter Vomitoria & Purgantia eminent, illa non statim sine respectu ad indicantia suadenda sunt, sed vbi cruditates in ventriculo fluctuant, & plicis eius tenacius impactae haerent, quod ex nausea, appetitu deiecto, & circa praecordia sensu molesto, vomendi conatu, praegressoque diaetae errore cognoscitur, tuncque, si aegrotantis vires ac constitutio consentiunt, a Vomitoris salus promitti potest, dum prudenti illorum usu, non solum fôrdes primarum viarum exterminantur, viaque remediis febrifugis sternuntur, sed &, ad turgescientiam pronus, collectus in vasis, humor febrilis elicetur. Ex medicamentis vero emeticis omnibus praefstant rad. Ipecacuanha & quae ex Antimonio fiunt, tam in secca, quam in liquida forma. Quodsi vero intestina lentore sint obsessa, & cruditates in eorum canale redundant, vel ad illum humorē vergant, tunc purgantia conueniunt. Ea vero lenia sint ac blandiora, evitando fortiora, quia massam sanguineam grauius turbant,

turbant, & optimos pariter ac noxios humores educunt viresque maxime debilitant. Ad blandioris vero naturae purgantia pertinent salia media & digestiuia, qualia sunt: Sal acidularum Egranarum, Sedlicense, catharticum Anglicum, Nitrum & ex eo praeparata, Magnesia Nitri, Cremor Tartari, Tartarus vitriolatus & tartarisatus, Liqu. terrae sol. Tartari; item Rhabarbarum, Manna calabrina, pulpa Tamarindorum, folia Sennae & huius generis plura.

§. XXIX.

Ex alterantibus vero aequae ac aperientibus, diaphoreticis & temperantibus, quae nimurum virtute lentorem humorum dissoluendi, & coniunctam eius acrimoniam variam inuertendi expellendique, tum etiam orgasmum nimium frenandi, defectumque humidi vitalis restaurandi pollent, sequentia prae ceteris longo vsu comprobata & comperta sunt:

- 1) Amara & aromatica, salibus volatilibus oleosis, vel acribus, fixis & rigidioribus constantia, qualia sunt: Herbae Menthae, Ablynthii, Centaurii min. Card. ben. Fumariae, Rutae, Trifol. fibr. radices Angelicae, Gentianae rubrae, Contrayeruae, Zedoariae, Serpentariae Virginianae; cortex Peruvianus, Fraxini, Guaiaci, Myrrha, & ex his paratae Escentiae atque Elixiria stomachica, antifebrilia & antipestilentia; Elixir. proprietas praecipitans Lipsiensis (ex Aloe, Croco, Myrrha, Nuc. moschat. Flor. salis ammon. martial. cum Tinct. Tartari extractum), Elix. Vitrioli Myns. Elix. stomachicum Michaelis, Elix. antifebrile Crollii, &c.
- 2) Salia ipsa volatilia, eaque vel simplicia, vt Sal & Spiritus

E 2

C.C.

C. C. Eboris, Viperarum, ammoniacum; vel oleofis & aromaticis vegetabilium aliorumque particulis temperata, ut sunt Sal volat. oleosum & aromaticum Syluii, Spir. bezoardicus Buffii, ipsaque olea stillatitia ac imprimis Caryophyllorum. Quo etiam sal istud vol. oleosum siccum, admodum famigeratum, Camphoram nempe, referimus, ut & medicamenta illa oleosa aromatica atque anodyna, sed magis composita, Theriacam Andromachi & coelestem Greiffii, Elect. diacord. Fracastorii, & Mithridatium Damocratis.

- 3) Salia acria fixa vegetabilium quaevis, quae vulgo alcalica appellantur, horumque olea per deliquum parata: Sal nimirum Tart. Absynthii, Card. ben. Cent. min. Fumar. &c. Huc etiam pertinent e fossilibus salia fixa ex Nitro confecta, Nitrum nempe fixum & antimoniatum.
- 4) Salia acria & acida composita, eaque fixa & volatilia, quae vulgo Salia salsa, media, enixa & neutra vocantur, ut sunt: Crystalli Nitri puri, Sal ammoniacum depuratum, vel eius flores simplices & martiales, Sal digestum Syluii, Arcan. duplicatum, Tart. tartarifarns & viriolatus, Arcan. Tarta-ri simplex seu volatile (sæpe nimirum C. C. vel Viperarum saturatum, quod verum est sal Viperarum Tachenii), dulcedo seu Saccharum aluminis. Huc etiam referri potest Mixtura simplex & Tinct. bezoardica Michaelis.
- 5) Salia volatilia sub terreis aut gelatinosis, vel vtrisque particulis latitentia, uti sunt: Cornu Cerui, Ebur, Vnicornu marinum, mandibulae Lucii pisces, dens Apri & Equi marini,

rini, Lap. Bezoar orientalis & occidentalis, lapides, Testae & chelae Cancror, Margaritae, Testae concharum & ostrearum, Mater perlarum, Corallia, Gelatinae Corn. Ceru. & Eboris, caro & Spinae Viperarum & compositi pulueres officinales diaphoretici & bezoardici diuersorum Autorum, vti Pulu. bezoardicus Sennerti, Michaelis, Hoffmanni, anglicus, pannonicus rubeus, faxonicus, cordialis cum & sine pretiofis, pestifentalis Foresti, Species de Hyacintho, de Gemmis frigidae, &c.

- 3) Concreta alia terrea & porosa, cum vel sine metallicis particulis, acidum imbibentia, lentesque & viscosos humores alterantia: vt Vnicornu fossile, terra sigillata Strigonienis & Lemnia, Bol. armena, Crystallus montana; quo pertinent calcinata: Corn. Ceru. & Ebur vstum, Testae calcinatae Ouorum, Cancror. & Concharum, vel longarum Cochlearum (quarum haec sub *Specifici febrilis tertianarum Crolli nomine* veniunt), vel Mater perlarum calcinata, quae *Specificum Strobelbergeri* appellatur. Atque hi quidem Pulueres ad Calcis viuæ naturam fere accedunt, quae etiam a quibusdam pro febrifugo adhibetur.
- 7) Ex fossilibus quae fiunt remedia, sunt antimoniata, martilia & saturnina: vti Antimon. diaphoreticum simplex & martiale, Bezoardicum minerale, martiale, iouiale & solare, Antihecticum Poterii, Sacch. Saturni, Cinnab. nativa eleæta, antimonii & faætitia, Chalybs pptus, Croc. martis aperitiuus, Tincturae martiales & huius generis plura. Multa autem ex his medicamentis merito ex officinis pharmaceuticis relegari deberent.

§. XXX.

Tandem quod ad sanguinis missionem in febribus attinet, illorum coarguendus est error, qui, vel in nulla, vel in omni febri mittendum esse sanguinem, praecipiunt; siquidem huic utriusque opinioni non minus ratio, quam experientia contradicit, & usum Venaesctionis saepe salutarem, abusum vero noxiū maxime & cum discrimine vitae coniunctum esse, docet. Nimurum quemadmodum temere agunt, qui promiscue, sine discrimine, nulla habita indicantium & circumstantiarum ratione, in febri qualibet curationis initium cum Venaesctione faciunt, qui complurium hodie mos est; ita e contrario prudenter omnino faciunt illi, qui prouide circumspiciunt omnia, antequam Venaesctionem instituant, eamque non facile admittunt, nisi vbi plenitudo vasorum & turgescētia sanguinis, indeque oriundi aestus vehementiores, atque dolores, securis aliis artis auxiliis minus temperandi, naturae negotium faceant; id quod HIPPOCRATEM obseruasse legimus, quando in Libro de Diaeta in acutis inquit: *In morbis acutis sanguinem detrubes, si vebemens fuerit morbus,* (intellige aestum pulsusque vehementem) *& aegroti aetate florente fuerint, & viribus valuerint;* idemque GALENVS inculcat, Lib. de Humoribus, Commen-tat. V: *Priusquam feces venam, praestiterit haec omnia intueri, morbi magnitudinem, simulque firmitudinem virium aegrotantis, itemque & aetatem & naturalem eius temperiem, ad hoc etiam anni tempus, regionem & antecedentem vitam, & solitane quaedam excretio sit copibitas, denique utrum homo gracilior evaserit vel crassior.* Ex quibus intelligimus, illos Medicorum Principes in missione sanguinis

nis

nis praecipue ad vires respexisse, neque idcirco in febribus continuis, nisi urgente incendio febri, pulsusque vehementi & viribus valentibus, eidem locum dedisse, quae omnino sententia cum sana ratione & Magistra rerum, experientia, conuenit. Vnde sagaciores merito in febribus quibusuis examinare iubent, maiorne malignitas, an febris sit? & si illa maior fuerit, nullum Venaectioni locum concedunt; sin febris autem maior sit, malignitas vero deficiat, tutius eam adhiberi censem, si nempe aliis conuenientibus auxiliis debellari febris nequeat. Hic autem non praetermittenda est praeiudicata vulgaris opinio, qua dueti hodie complures existimant, sub initium duntaxat febrium acutarum sanguinem mittendum esse. Nihil enim caussae est, cur non etiam reliquis temporibus indicari & praesidio esse possit, praesertim cum ipso eventu constet, omni tempore, ipsoque in statu morbi, cum sufficiens indicans adfuit, salutarem fuisse sanguinis missione & insignem utilitatem praestitisse. Sed & in die critico sanguinem mittere non licebit solum, verum erit omnino necessarium, quoties indicium erit, non securoram crisin, impedimento detenti sanguinis, inter alios expertus scribit Laurentius BELLINVS, de Sanguinis missione Propos. X. Quo eodem loco, tutissimum tempus mittenendi sanguinem in febribus esse declinationem earum, multis argumentis dilucide confirmat, & potissimum, quod eo tempore minus periculum meruendum sit a Venaectione, & quod deinde maior materiae febrilis copia hoc modo euacuari possit, vt pote quae in accessionibus febrium quoad maximam partem arterias inhaereat, & progressu temporis in venas abripiatur, maioreque adeo quantitate in decessione febris

bris exhauri possit. Et haec etiam causa est, cur in febribus, praesertim diuturnis ipsisque intermittentibus, repetita interdum venaelectio, non nimis larga, conueniat.


T A N T V M .



00A6282



Dokto ✓



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS

FEBRIVM GENERALEM CONSIDERATIONEM PATHOLOGICO-PRACTICAM

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAE^SIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAE^SIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRAD V DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. III. IVLII, A. R. S. CI^o CCCLXVI.

PVLICE DEFENDET

A V C T O R

BENIAMIN GOTTL^OB HENRION

HAYNICH^A - SAXO - HERMVNDVRVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVÆ.